

non referre gratiam? In Proverbiis quoque habes, quod ita plurimum redhibitio ista gratiae apud Deum consuevit valere, ut etiam in die ruinæ inveniat gratiam, quando possunt præponderare peccata.¹⁾ Et quid aliis utar exemplis, cum Dominus ipse remunerationem uberiorem Sanctorum meritis in Evangelio polliceatur, atque exhortetur ut operemur bonum opus, dicens: «Dimitte et dimittetur vobis: date et «dabitur vobis: mensuram bonam, commotam, supereffluen-
 tem dabunt in sinum vestrum?»²⁾ Itaque et illud convivium Salomonis non de cibis, sed de operibus est bonis. Quo enim melius epulantur animi, quam bonis factis? Aut quid aliud tam facile potest justorum explere mentes, quam boni operis conscientia? Qui autem jucundior cibus, quam facere voluntatem Dei? Quem cibum sibi solum Dominus abundare memoravit, sicut scriptum est in Evangelio: «Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui est in coelo.»³⁾ Hoc cibo delectemur, de quo ait Propheta: «Delectare in Domino.»⁴⁾ Hoc cibo delectantur, qui superiores delectationes mirabili ingenio comprehendenterunt, qui possunt scire qualis sit illa munda et intelligibilis mentis delectatio. Edamus ergo panes sapientiae, et saturemur in verbo Dei; quia non in solo pane, sed in omni verbo Dei vita est hominis facti ad imaginem Dei. De poculo vero satis expresse dicit sanctus Job: «Sicut terra expectans pluviam, sic et isti sermones meos.»⁵⁾

BENEVOLENTIAM LIBERALITATE POTIOREM ESSE.

Pulchrum est ergo ut divinarum Scripturarum humescamus alloquio, et quasi ros sic in nos Dei verba descendant. Cum igitur sederis ad illam mensam potentis, intellige quis sit iste potens: et in paradyso delectationis positus, atque in convivio sapientiae locatus, considera quæ appo-

1) Eccl. 3. 2) Lue. 5. 3) Isa. 4. 4) Ps. 36. 5) Job. 29.